

niendi parochiæ pauperioris necessitatibus. Ea ratione Episcopi aliquoties immutandos statuerunt limites parochiarum vicinarum ad communem utilitatem, urgente nimirum aliqua necessitate, aut suadente utilitate.

*601. — IV. Modus servandus in divisione, seu dismembratione officii, idem est qui in peragenda unione beneficiorum; cum hoc discrimine quod convocari debeat, coram Ordinario loci, rector Ecclesiæ, cujus maxime interest suas rationes, si habeat, opponere.

Quibusdam visum est satius fore, ut plura impedimenta vitentur, expectare donec vacaverit beneficium; sed id cum sacris canonibus non consentit. Vetant leges ne Ecclesia spoliatur, dum vidua est suo rectore, et si urgeat aliqua ratio necessitatis, requirunt ut assignetur ei defensor qui illius causam tueatur. (Cap. *Dudum*, 1, DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS, in VI^o.)

Cæterum, etsi necessarium sit vocari parochum, non tenetur Episcopus habere illius consensum, siquidem concilium Tridentinum statuit, in decretis præcitis, Episcopum posse dividere parochias, *invitis rectoribus*, et assignare sacerdotibus, qui erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competentem portionem ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. (Cap. IV, sess. XXI.) Hæc olim servabantur in Galliis, et recens vidimus in diocesi Parisiensi ita fuisse factum. « Si les revenus de la cure sont considérables, *aiebat* Gohard, « et que le démembrement soit jugé, non pas plus commode au « peuple, mais nécessaire, l'Évêque peut en retrancher une « partie pour en composer la dot du nouveau bénéfice, pourvu « néanmoins qu'il laisse à l'ancien titulaire de quoi subsister « convenablement; auquel cas le titulaire aurait tort de se plaindre, ou de demander un dédommagement, parce que, si on « lui ôte une partie de son revenu, on le décharge aussi d'une « partie de son fardeau, et que le salut public est la loi souveraine à laquelle tout intérêt particulier doit céder. » (*Traité des bénéfices*, tome I^{er}, page 771.)

Beneficiarius qui se reputat injuste gravatum sententia Episcopi, sive existimet defuisse rationem sufficientem, sive prætermittas fuisse formas præscriptas, appellare potest ad metropolitanum; aut, si sub jurisdictione metropolitani constituatur beneficium, ad S. Pontificem. Appellatio non habet effectum suspensivum sed duntaxat devolutivum, quia, vi decretorum concilii Tridentini, Episcopus procedit *sublato appellationis obstaculo*. Ita Fagnan, in cap. *Ad audientiam*, n^o 12, DE ECCLESIIIS ÆDIFICANDIS, lib. III, Barbosa, *de Potestate Episcopi*, allegatio LXVIII, n^o 3; Schmalzgrueber, in tit. DE PRÆBENDIS, n^o 208.

602. — Hæc de erectione et divisione beneficiorum dicta sunt ad normam juris communis; quoad Ecclesias Galliarum attendere debemus ad art. IX concordati an. 1801, qui ita statuit: « Episcopi, in sua quisque diocesi, novas parochias circumscribere; quæ circumscriptio suum non sortiatur effectum, « nisi postquam consensus gubernii accesserit. »

Quæstio mota est circa sensum et extensionem hujus articuli, utrum scilicet circumscriptio quam fecerit prima vice Episcopus, aut quam hodie facere vellet inconsulto gubernio, vi careret, non solum quoad ordinem civilem, sed etiam quoad ordinem canonicum.

Arbitramur articulum sumendum esse in sensu absoluto, quoad utrumque ordinem, canonicum simul et civilem. Articuli concordatorum sumi debent in sensu obvio, sensu naturali verborum, spectata natura rerum, communi consuetudine, et intentione præsumpta partium contrahentium: atqui verba *circumscriptio non sortiatur suum effectum*, non attingunt solummodo effectus civiles qui sunt aliquid secundarium, sed etiam et magis directe canonicitatem erectionis tituli et jurisdictionem ordinariam eidem titulo annexam, quæ est effectus proprius atque immediatus circumscriptio- nis, quando fit juxta regulas canonicas. Ea procul dubio mens erat partium contrahentium, quæ non intendebant aliam esse circumscriptio-

nem parœciarum et diœceseon pro foro ecclesiastico, aliam pro foro civili.

Hæc interpretatio non restringitur ad primam circumscriptionem, quæ fieri debuit post concordatum. Etenim : 1^o concordatum est regula permanens juris canonici pro Ecclesiis Galliarum, quoadusque illi derogatum fuerit legitima auctoritate; 2^o non patitur ratio, nec æquitas servanda in practica interpretatione concordati, ut circumscriptio quæ aliter fieri non potuit quam mutuo consensu Episcopi et Gubernii, immutari deinde possit pro solius Episcopi arbitrio. Ergo Episcopus valebit quidem delegare jurisdictionem presbytero, cui talem partem diœcesis regendam demandare voluerit, sed non aderit titulus canonice erectus, cui annectatur jure communi jurisdictio ordinaria cum perpetuitate officii ad vitam titularis.

De erectione ac divisione succursalium dubium moveri potest, an comprehendantur in regula generali; quidquid vero speculative dicatur, in praxi vix possibile videtur ut fiant succursalium erectiones, nec divisiones stabiles, absque consensu mutuo Episcopi et Gubernii, ut patebit infra, ubi dicetur de administratione temporali bonorum Ecclesiæ.

605. — V^o *Utrum et quatenus beneficia gravari possint onere pensionis?*

Pensio est jus percipiendi portionem aliquam fructuum ex alieno beneficio, alicui concessum ad tempus, vel in perpetuum.

1^o Certum est S. Pontificem posse imponere pensionem, etiam in perpetuum, beneficiis ecclesiasticis; licet enim non sit dominus beneficiorum, neque illorum fructuum, sed solum administrator et dispensator, dispositionem tamen habet omnium Ecclesiarum, dignitatum aliorumque beneficiorum, ut de iis in bonum Ecclesiæ catholicæ, et Ecclesiarum particularium necessitates statuatur, prout in Domino sibi visum fuerit. Cap. *Licet*, 2, DE PRÆBENDIS, in VI^o. (Pirhing, in tit. XII, lib. III, n^o 9.)

2^o Certum est Episcopum non posse imponere beneficiis pensionem in perpetuum. Ita unanimiter canonistæ, qui suam sententiam deducunt ex decreto Concilii Lateranensis II, quo præceptum fuit « ut clerici absque imminutione aliqua, collata sibi « dignitate et beneficio perfruantur. »

Æquum est ut qui solus sustinet onera officii, solus etiam fruatur fructibus eidem officio attributis, exceptis casibus jure prævisis, de quibus diximus in solutione quæstionum præcedentium, et aliis de quibus superest ut nonnulla notentur.

Quamvis disciplina concilio Lateranensi constabilita, ubique obtinuerit a prima ætate qua instituta fuerunt beneficia, exceptionem tamen admiserunt sanctissimi Præsules, et sua agendi ratione confirmaverunt SS. Pontifices, nedum in gratiam clericorum qui diu utiliterque operam dederant Ecclesiis, quas subinde, senio aut laboribus confecti, deserebant, quin etiam indulgendo aliis qui pro suis criminibus e sua sede dejecti fuerant. Ita fecisse leguntur, inter cæteros, S. Gregorius Magnus, S. Gregorius VII et Innocentius III. Hujus rationis agendi motiva allegavit S. Gregorius Magnus in Ep. 55 ad Maximianum Syracusanum, lib. III : *Nimis impium est, si alimentorum necessitati post vindictam subjaceat*¹.

604. — Ob similes causas, Episcopus potest, ex communi doctorum sententia, imponere beneficio pensionem temporalem quæ ad vitam beneficiarii gravati duret, quod deducitur ex cap. *Nisi essent*, 21, DE PRÆBENDIS. An vero possit imponere pensionem ad vitam pensionarii, ita ut si beneficiarius in cujus beneficio constituta est, decedat ante alterum cui pensio solvitur, onus transeat ad successorem, controvertitur inter canonistas. Plures negant, quorum opinionem Fagnan pluribus argumentis demonstrare enixus est in suo commentario canonis *Nisi essent*, n^{is} 48-65, et Reiffenstuel, in tit. XII, n^{is} 92-99. Ratio est, juxta illos, quod Sancta Sedes non toleraverit pensionem con-

¹ Cf. Gohard, tom. III, pag. 572.

stitui ab Episcopo nisi ad vitam beneficiarii gravati, ne beneficium videatur divisum, si, beneficiario defuncto, onus transeat ad successorem. Alii aliter sentiunt, et plures textus juris vindicant in suæ opinionis defensionem, qui tamen thesim certo non probant. Inter hæc, Pirhing animadvertit usu saltem receptam videri sententiam affirmativam in quibusdam casibus, quidquid sit de jure stricto; quod et Schmalzgrueber eodem sensu asserit: « Dicendum, inquit, saltem vi consuetudinis, Episcopus posse imponere pensiones, ad pensionarii vitam se extendentes. » (Pirhing, n° 10; Schmalzgr., n° 8, in tit. XII, lib. III.)

In illam sententiam inclinamus, eo magis quod rationes quæ determinant constitutionem pensionis, communiter requirunt ut ad vitam pensionarii extendatur. Cæterum in Galliis, ubi non sunt beneficia præter Episcopatus, canonicatus et parochias, res alio modo componitur qui difficultatem canonicam removet. Non loquimur de Episcopis qui suæ sedi renuntiant; ipsis confertur canonicatus capituli Sancti-Dionysii, aut pensio annua assecuratur a gubernio... Canonici non resignant suum beneficium ob causam infirmitatis; si alia ratione cogantur illud dimittere, Episcopus non potest ex officio imponere pensionem præbendæ vacaturæ, quæ tota consistit in pensione solvenda a gubernio et vix sufficit canonicis ad suam congruam sustentationem. Providetur necessitatibus beneficiarii resignantis, ex bonis de quibus disponit curia Episcopalis, vel postulatur pensio, quam ordinarie confert gubernium civile, præsertim si resignans sit propectæ ætatis. Aliquando Episcopus assensum obtinet a novo titulari, ut partem determinatam suæ pensionis det canonico resignanti, quæ conventio eodem sensu renovatur cum singulis successive canonicis, qui eandem præbendam assequuntur, vivente adhuc veteri titulari... Quod ad parochias attinet, Episcopus non potest imponere pensionem titulo parochiali, qui plerumque vix est sufficiens parochus, ut munus suum decenter expleat, neque redditibus parochiæ quorum admi-

nistratio fabricæ commissa est. Ipsamet fabrica jus non habet constituendi pensionem in futurum, ad vitam parochi resignantis duraturam; sed nihil obstare videtur quominus præstet subsidium fixum pro anno currenti, cum intentione illud prorogandi quotannis, quandiu necessitas exegerit. Ita providetur non solum parochus, sed vicariis, et cæteris qui per tempus notabile laudabiliter inservierunt.

Nihil est, in tali ordinatione, quod adversetur Decreto Innocentii XII, diei 11^æ novembris an. 1692, prohibentis ne Ecclesiæ parochiales in posterum graventur oneribus pensionum, et ne admittantur resignationes beneficiorum parochialium cum reservatione pensionum, ad cujuscumque favorem, et sub quocumque titulo, etiam præstationis alimentorum. Nec eidem decreto contradiceret Episcopus qui, sciens titularem parochiæ habere, præter pensionem gubernii, redditus abundantes, postularet ab eo ut partem donet resignanti, qui tali sublevamine indiget.

Nota. Pensiones extinguuntur morte pensionarii, voluntaria renuntiatione, professione religiosa, qua clericus privatus fuisset beneficio, si ad tempus usque professionis illud retinisset.

605. — VI^o *Quid jure servandum in collatione beneficiorum?*

In collatione beneficii attendendum est maxime ad idoneitatem promovendorum, ad jura patronorum, ad regulas canonicas de incompatibilitate beneficiorum, demum ad formam collationis.

I. De idoneitate clericorum ad beneficia diximus in I^a parte Prælectionum (n^{is} 290, 291, 292). Unum addemus, scilicet clericos idoneos assumendos esse ad officia ecclesiastica, cujusvis nationis sint; anteponendos tamen indigenas exteris, cæteris paribus.

Innocentius III conquestus est de patriarcha Constantinopolitano qui nullos in clerum suæ Ecclesiæ præter Venetos

admittebat, non attendens quod, in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possideri. Quocirca, scripsit ad legatos Sedis Apostolicæ: « Mandamus quatenus moneatis eundem, ut viros litteratos, et alias idoneos, undecumque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis et maxime in majori, instituere non possint, ponat, alioquin indignum se reddit, ut vos aliarum clericos nationum ad ejus obedientiam compellatis. » Cap. *Ad decorem*, 5, DE INSTITUTIONIBUS, lib. III Decret. Id vero non obstat quominus anteposendi sint, cæteris paribus, indigenæ alienigenis; quod olim servabatur regulariter in ipsa electione Episcoporum, ut testatur sanctus Cælestinus Papa, scribens ad Episcopos provinciæ Viennensis: « Nec emeritis in suis Ecclesiis clericis, ait, peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui bene de suorum civium merentur testimonio, præponantur¹. » Ad eandem disciplinam alludit Innocentius III, in alia epistola decretali: « Cautum, inquit, reperitur in canone, ut tunc alter de altera Ecclesia eligatur, cum nullus in propria fuerit repertus idoneus. » Cap. *Cum nobis*, 19, DE ELECTIONE, lib. I Decret. Quod de electione Episcoporum observabatur, idem etiam et a fortiori de clericis inferioribus in praxi obtinuerat ob rationes a sancto Cælestino allegatas. Melius nosse præsumitur indolem atque utilitates incolarum, qui inter ipsos a prima ætate conversatus est. « Qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ait sanctus Thomas, in pluribus consuevit esse utilior ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam in qua est nutritus. » (2^a, 2^o quæst. 63, art. 2, ad 4.) In ea insuper stabilis permanet, dum extranei plures remeare intendunt ad propria, cum suum finem assecuti fuerint. Qui igitur de gremio diocesis assumitur, merito reputatur, cæteris paribus, dignior; magis utique parochiis, et aliis officiis clericalibus, utilis est².

¹ D. Coustant, *Epistolæ RR. PP.*, pag. 1070.

² Cf. Fagnan in cap. *Cum Dilectus*, DE CONSUETUDINE. — Thomassin, *Ve-*

606. — II. De *juribus patronorum* pauca notabimus, cum vix supersint apud nos vestigia patronatus in materia beneficiâ¹.

Ecclesia plures prærogativas largita est fundatoribus et benefactoribus beneficiorum, in signum grati animi, et ad excitandum zelum fidelium in constituendo pias fundaciones. Ipsis præsertim concessit jus nominandi personam cui beneficium vacans conferri debeat, modo tamen idonea reperiatur. Si plures sint patroni, nec consentiant in eundem, ille præfertur ex præsentatis cui major pars votorum suffragatur; si paria sint vota, Episcopus potest, cum tempus jure præfixum advenerit, eligere inter duos aut plures præsentatos, quem maluerit; quod similiter agere ipsi fas est, si forte patronus plures successive præsentaverit. Cap. *Cum autem*, 24, DE JURE PATRONATUS, lib. III Decretalium. Legitime præsentatus, modo dotibus canonicis instruat, jus habet ad beneficium adipiscendum, adeo ut collatio alteri facta, nulla et irrita declaretur.

Jus patronatus triplici titulo acquiritur: 1^o *Privilegio* Sanctæ Sedis, quæ illud quandoque magnatibus concessit, ob illorum in Ecclesiam merita. 2^o *Fundatione, constitutione, seu dotatione* alicujus Ecclesiæ, capellæ, aut beneficii, uti statuit concilium Tridentinum (sess. XIV, cap. XII; sess. XXV, cap. IX, de *Reform.*). Si unus beneficium fundaverit, donando aream, seu fundum; alter suis sumptibus ædificium construxerit; alter dotem competentem assignaverit, hi tres participant in solidum jura patronatus. « Quæritur, ait Card. Soglia, an fundacione de consensu Episcopi absoluta, jus patronatus acquiratur, quamvis fundator in suæ fundacionis tabulis jus illud sibi expresse non reservaverit. Jam vero certum exploratumque

tus et Nova Disciplina, part. II, lib. I, cap. CIII. — Ferraris, v^o *Beneficium*, art. v, n^o 44.

¹ Canonistæ multa disserunt de juribus et obligationibus patronorum; item de acquisitione, transmissione et extinctione juris patronatus, in suis commentariis tituli XXXVIII, DE JURE PATRONATUS, lib. III Decretalium.

« est in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, jus patronatus
 « non acquiri nisi expresse reservatum et Apostolica auctori-
 « tate probatum sit...; sed quod ad inferiores Ecclesias et bene-
 « ficia pertinet, magis recepta sententia est jus patronatus jure
 « ipso inesse foundationi Ecclesiæ, vel dotationi, ut proinde cum
 « Ordinarius in fundationem et dotationem consenserit, consen-
 « sisse etiam in jus patronatus fundatori, vel dotanti tribuen-
 « dum censeatur, nisi fundator expresse aut tacite eidem juri
 « renuntiaverit; expresse quidem per tabulas, seu scripturas,
 « aut aperta verba; tacite vero per non usum, veluti si fundator
 « diu passus est Ecclesiam vel beneficium pluries ac libere ab
 « Episcopo conferri. » (*Institutiones juris privati*, lib. II,
 cap. III, § 102.) 3^o Præscriptione etiam acquiritur jus patro-
 natus; quæ præscriptio statuitur « ex multiplicatis præsentati-
 « onibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum
 « memoriam excedat, » uti fert decretum concilii Tridentini.
 In iis vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus,
 in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum
 præsumi solet, plenior et exactior probatio ad firmandum titu-
 lum requiritur: « nec immemorabilis temporis probatio aliter
 « eis suffragatur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria,
 « præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quam
 « quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ
 « sint, authenticis scripturis probentur, » ex præscripto ejus-
 dem concilii. (Sess. xxv, cap. ix.)

Jus quod multis principibus, vi concordatorum, comparatur
 nominandi ad sedes episcopales, maximam analogiam habet
 cum jure patronatus, eique non sine ratione æquiparatur. Eo-
 dem jure potitur, ex indulto Apostolico, Imperator Galliarum
 quoad omnes præbendas et officia capituli insignis collegiatae
 Sancti Dionysii.

607. — III. De *multiplicitate beneficiorum* animadverten-
 dum est: 1^o Clericos olim uni Ecclesiæ, cui servire deberent,
 sua ordinatione adscriptos fuisse. Cum beneficia ab ordinatione

sejuncta esse cœperunt, interdixerunt leges canonicæ ne eidem
 clerico plura conferrentur beneficia, quia unus non potuisset
 plura simul officia in diversis Ecclesiis gerere. Cum autem
 lapsu temporum imminuti fuissent beneficiorum redditus, oportuit
 aliquo moderamine uti, solvendo clericos a lege residentia-
 tiæ quoad quædam beneficia, lege firma remanente pro cæ-
 teris; et exinde orta est distinctio inter beneficia *incompati-*
bilia et *compatibilia*. 2^o Beneficia quæ habent curam anima-
 rum, aut quæ officium conferunt, onus residentia-
 tiæ personalis important et dicuntur incompatibilia, quapropter duo ex hujus-
 modi beneficiis eidem clerico conferri non possunt. Si clericus
 duo successive receperit, primum ipso jure vacat, et si utrum-
 que retinere voluerit beneficiarius, illum utroque privandum
 sanxerunt jura, super quibus solus S. Pontifex dispensare
 potest. (Cap. *Execrabilis* DE PRÆBENDIS, Extravag. Joan. XXII,
 Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. XVII, *De Reform.*)
 3^o Beneficia quæ, nec natura officiorum ipsis annexorum, nec
 conditionibus foundationis, residentiam personalem requirunt,
 non sunt incompatibilia.

Concilium statuit ut in posterum unum tantum beneficium
 ecclesiasticum singulis conferatur. « Quod quidem, si ad vitam
 « ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat
 « nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque
 « personalem residentiam non requirat, eidem conferri. » Re-
 gula igitur generalis est clericum non posse plura beneficia,
 etiam simplicia, retinere, si unum habeat sufficientes redditus,
 ut clericus honeste ac decenter vivat. « Sed nunc, subjungit
 « Devoti, ex consuetudine ubique recepta, nemo in foro contro-
 « versiam patitur, quod duo beneficia simul possidet, etiamsi
 « unum satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo
 « utrumque residentiam non requirat. » (Lib. II, tit. XIV,
 sect. I, § 17.) Hæc locum non habent in statu præsentis Eccle-
 siarum Galliæ.

608. — IV. De *collatione beneficiorum* notare est illa conferri

electione, concursu et collatione libera. De electione diximus in 1^a parte, ubi de electione S. Pontificis et Episcoporum. Regulas canonicas de concursu instituendo pro beneficiis parochialibus exposuimus in eadem parte, in sectione de Parochis. Superest proinde ut de forma servanda in collatione quædam addamus.

Jure communi nulla forma specialis præscribitur in collatione beneficiorum. Sola regula generalis, praxi constanti omnium Ecclesiarum recepta, est nullum beneficium conferri sine litteris authenticis quibus voluntas collatoris et ipse actus collationis, absque ambiguitate significetur, adeo ut nullus admittendus sit in beneficii possessionem sine eisdem litteris expeditis et exhibitis. Litteræ præferunt nomen atque dignitatem collatoris; expriment titulum atque naturam beneficii, Ecclesiam ubi situm est, nomen clerici cui confertur, diem et annum quo perfecta est collatio, cum subscriptione collatoris, sigillo plerumque munita; aut saltem subscriptione cancellarii.

Bonifacius VIII interdixit, constitutione perpetuo valitura, ne Episcopi et alii prælati superiores, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut ab ea munus confirmationis recipiunt, regimen Ecclesiarum seu bonorum ecclesiasticorum administrationem capessere præsumant, absque litteris authenticis eorum promotionem, seu confirmationem, continentibus. Eadem constitutione animadvertitur contra omnes qui Episcopos recipere sine litteris apostolicis, aut eis parerent; quin insuper capitula et conventus mulctantur pœna suspensionis a beneficiis suorum perceptione, donec super hoc veniam Sanctæ Sedis meruerint obtinere. Cap. *Injunctæ*, DE ELECTIONE, inter Extrav. communes. (N^o 209.)

De beneficiis minoribus a S. Pontifice conferendis, sunt etiam regulæ cancellariæ quæ rescriptum requirunt pro beneficiis minoribus a S. Pontifice conferendis, adeo ut nemo aliter valeat se in officii regimen ingerere, et fructus beneficii sibi vindicare. Porro, pontifex duplici modo litteras collationis

expedit: nempe *in forma gratiosa*, et *in forma dignum*, quæ etiam *commissoria* nuncupatur. Litteræ provisionis dantur *in forma gratiosa*, quando summus Pontifex alicui beneficium confert, intuitu meritorum quibus clericum ornatum et apud se commendatum esse affirmat, adeo ut executori non permittatur ejusdem clerici merita ad examen revocare, sed debeat eum, visis litteris Apostolicis, in possessionem beneficii deducere. Litteræ dantur *in forma dignum*, quando Pontifex mandat Ordinario ut certum beneficium alicui conferat, si tamen prævio examine idoneum esse repererit. Dicuntur *in forma commissoria*, quia Pontifex non confert beneficium, sed collationem committit Ordinario, qui proinde partes judicis assumet, et cognoscet de veritate clausurarum, seu conditionum eisdem litteris adjectarum; præsertim an providendus reipsa dignus sit, an dotes canonibus requisitas, attenta natura officii, habeat. Hoc genus litterarum communiter usurpatur in beneficiis inferioribus quibus cura animarum inhæret; in cæteris beneficiis forma gratiosa facilius adhibetur¹.

*609. — VII^o *Quandonam provisus de beneficio, inducatur in possessionem tituli, et qui sint effectus captæ possessionis?*

I. Qui institutionem canonicam accepit, non debet propria auctoritate se in regimen Ecclesiæ et administrationem temporalium ingerere, donec insuper acceperit possessionem actualem, quæ *investitura*, vel missio in *corporalem possessionem*, dicitur; alioquin pœnis ad arbitrium Episcopi imponendis obnoxius foret.

Communiter qui jus conferendi beneficium habet, illius possessionem actualem tradere potest, seu per se ipsum, seu per alium cui id munus commiserit. Olim ad archidiaconos pertinebat « institutio illa corporalis tam super beneficiis, quam « etiam dignitatibus. » (Cap. *Ad hæc*, 7, DE OFF. ARCHIDIACONI.)

¹ Cardinal Soglia, *Institutiones juris canonici privati*, lib. II, cap. II, § 95.

Hodierna ætate Episcopi, pro arbitrio, hoc officium demandant vicariis generalibus, parochis, aliisque sacerdotibus. Quamvis nulla forma jure sancita fuerit in possessione ineunda, et Episcopus possit, si opportunum duxerit, conferre investituram verbalem, adhibito quocumque signo possessionem beneficii denotante, usu tamen prævaluit, ut possessio corporalis accipiatur per introductionem in locum beneficii cum traditione clavium, vel alio ritu qui officium et jura beneficiati significet; v. g. si canonico stallum in choro tradatur, si parochus altare osculetur, si sedem convenientem occupet...

Possessio traditur vel ipsi beneficiato, vel ejus procuratori, speciale mandatum habenti¹.

Omnes qui tenentur, ad præscriptum juris communis, emitte professionem fidei, debent hanc professionem agere per seipsos, non per procuratorem. Benedictus XIV plures responsiones S. Congregationis refert, quibus declaratur *professionem fidei per procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari*². Qui beneficium cum cura animarum obtinuerunt, fidem profiteri debent coram Episcopo, aut vicario generali. De professione fidei a canonicis emittenda alibi dictum est. (Nº 401.)

II. Jus canonicum effectus dat captæ possessionis, nimirum : 1º Possessio cum justo titulo et bona fide jus tribuit officium spirituale cum jurisdictione, si quæ officio adnectatur, exercendi, et percipiendi fructus beneficii; 2º qui anno integro possederit, jus habet, in casu quo competitor idem beneficium obtinuisse prætendit, in sua possessione manendi donec lis dirimatur; 3º si per triennium pacifice possederit, non amplius potest in jus vocari, suaque possessione exturbari; si quidem possessio triennis effectum eundem parit ac præscriptio completa, tum in foro externo, tum in foro interno. (Nº 291³.)

¹ In Gallia pensiones a Gubernio datæ titularibus, non currunt nisi a die possessionis.

² *Institutione* lx, nº 3.

³ Cf. Riganti in regulas xxxv et xxxvi cancellariæ.

610. — VIIIº *Utrum et quatenus beneficiarius possit dimittere, permutare, aut resignare suum beneficium?*

I. *Dimissio simplex*, seu *resignatio beneficii* absque ulla conditione, licita est, et clericum solvit a vinculo quo Ecclesiæ, seu beneficio devincitur, modo tamen libere fiat, et fuerit acceptata a superiore. Si beneficiarius adducatur ad renuntiationem vi, metu, aliave causa injusta, actus cessionis est rescindibilis. Si superior non duxerit acceptandam dimissionem, beneficium non vacat; imo beneficiarius cogi potest, comminatione censurarum, ad implenda onera officii; ex quo autem renuntiatio, libere facta, acceptata fuerit, irrevocabilis est, adeo ut nullus amplius locus sit penitentia. (Nº 504.)

Notandum 1º Concilium Tridentinum prohibuisse, ne clericus qui ordinatus fuit sub titulo cujusdam beneficii, illud dimittat, nisi facta mentione hujus tituli, et assecurato alio medio honestæ sustentationis. (Nº 321.) Notandum 2º S. Pium V prohibuisse, ob eandem rationem, ne clericus « sacro ordini « mancipatus, nisi religionem ingressurus, ullo modo valeat beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde « ei sit, quo in vita possit commode sustentari. » Const. *Quanta*, an. 1566.

611. — II. *Permutatio* locum habet quando duo beneficiati sibi mutuo cedunt proprium beneficium.

Canones vetant fieri permutationes sine causa necessitatis, seu utilitatis, sin Ecclesiarum saltem clericorum, et nisi accesserit auctoritas superioris, qui est S. Pontifex in beneficiis majoribus, et Episcopus alterve prælatus Ordinarius loci, si agatur de beneficiis minoribus. Possunt quidem beneficiarii tractare de permutatione facienda, alias non consentirent in idem, et permutatio, quam tamen canones non reprobant, esset impossibilis; sed nullatenus possunt permutare propria auctoritate, neque ullum pactum inter se inire, seu de pensione solvenda, seu de jure reassumendi beneficium in casu quo alter præmoriatur, seu aliud id genus. Necesse est ut nulla

intercesserit conditio, præter simplicis permutationis, qua, accedente auctoritate superioris, alter alterius beneficium consequatur.

612. — III. *Resignatio in favorem alterius*, vel sub alia certa conditione, fieri non potest aliter quam auctoritate S. Pontificis. S. Pius V, Const. præcitata *Quanta Ecclesiæ Dei*, hæc præscripsit: « Caveant Episcopi, itemque omnes electores, præsentatores, et patroni... ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, « futuri beneficiis et officiis successores ab ipsis resignantibus, « aut aliis eorum significatione, vel hortatu, designentur, aut « de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio, « qualiscumque intercedat. Cæterum præcipimus atque interdici- « mus, ne ipsi Episcopi aut alii collatores de beneficiis et « officiis resignandis, aut suis, aut dimittentium consanguineis « affinibus, vel familiaribus... audeant providere; quod si secus, « ac etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum, « fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc « vires et effectum decernimus non habere. » Aliis decretalibus et constitutionibus velita fuere quævis pacta in resignatione beneficiorum, quæ infra exponentur, quando de pœnis contra simoniacos latis disserendum nobis erit; quamobrem dicendum est omnem renuntiationem conditionalem, omnem imprimis resignationem in favorem alterius, illicitam et prorsus irritam fore, nisi a S. Pontifice approbetur.

De sensu et extensione Constitutionis S. Pii V difficultates moventur apud canonistas, quas paucis indicare satis erit.

1^o Dubitatur an Episcopus valeat acceptare simpliciter resignationem in favorem alterius, rejecta scilicet conditione? Sunt duæ opiniones contradictoriæ: alii affirmant, quia talis conditio, quatenus illicita, habetur pro non adjecta; alii negant, quia, inquit, non potest resignatio admitti pro una parte, et pro alia rejici. Utramque opinionem satis probabilem dicit S. Alph. de Liguori. (Lib. III, n^o 84.) Secundam multo probabiliorem reputamus; siquidem in mente renuntiantis, transmissio

beneficii est conditio resignationis; ergo necesse est ut vel rejiciatur dimissio, vel acceptetur cum conditione.

2^o Dubitatur utrum resignans possit saltem aliquem nominare et commendare Episcopo, nulla ipsi imposita conditione eidem beneficium conferendi? Id vetitum videtur Constitutione sancti Pii V, cujus textum protulimus; tamen non servatur cum tanto rigore in praxi, et S. Liguori valde probabile asserit textum hujus Constitutionis juxta hunc sensum posse intelligi quod licitum sit resignanti, in ipso actu renuntiationis « declarare Episcopo desiderium quod beneficium conferatur certæ « personæ; modo absit pactum, ut conditio rigorosa suspendens... quia tunc revera resignatio fit simpliciter, et Episcopus liber est ad conferendum beneficium cui vult. » (Loco cit., 85.)

3^o Dubitatur tandem, an ea sit vis Constitutionis Pianæ, ut Episcopus nunquam valeat beneficium conferre cognatis, affinibus, aut familiaribus resignantis? Quoties beneficium vacat per resignationem, Episcopus nullo modo potest illud suis, aut resignantis, cognatis, affinibus, seu familiaribus, conferre; quod eo usque servandum in praxi declaravit Sancta Congregatio, ut si parœcia sic vacaverit, Episcopus non debeat suos aut resignantis consanguineos, etc., ad concursum admittere, et alicui ex ipsis, quatenus præ cæteris dignior deprehensus fuerit, parochiale beneficium dare. Concludendum est Episcopum non posse parœciam supradictis conferre, aliter quam si per obitum, vel per judicium criminale vacaverit; nisi forte de regionibus agatur ubi bulla *Quanta* ex diuturna consuetudine non vigeret, ut de suis respective regionibus asserunt nonnulli canonistæ¹. (Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. xxiv, n^{is} 12-16.)

613. — IX^o *Utrum et quomodo titulo clerici teneantur,*

¹ Cf. Ferraris, v^o *Renuntiatio*, n^{is} 32 et 41. — Card. de Luca, discursus LXV, *de Beneficiis*. — Garcias, *de Beneficiis*, part. XI, cap. III, n^{is} 270, 271.

impendere in usus pios superflua bonorum quæ ipsis obveniunt ex oblationibus fidelium, ex foundationibus, et ex beneficiis ecclesiasticis?

I. Certum est clericum jus habere utendi ad sustentationem honestam, bonis quæ sibi obveniunt, ex oblationibus fidelium, foundationibus et beneficiis, occasione functionis sacræ, aut officii permanentis.

Ita omnes theologi et canonistæ interpretantur verba sancti Pauli: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* (1^a ad Cor., cap. ix, 13, 14.)

Hæc doctrina fundatur æquitate naturali, et intentione fidelium qui oblationes offerunt, seu beneficia clericalia erigunt: applicatur etiam in casu quo clericus ex bonis patrimonialibus sufficienter habet unde sibi provideat; æquum est enim ut nemo cogatur militare suis stipendiis. Quæ autem requirantur ad honestam clerici sustentationem, et quæ superflua censeantur, non potest certis regulis, modo absoluto, præfiniri. Congrua sustentatio non eadem in singulis requirit: ratio habenda est, tum qualitatis beneficii, tum usus regionis, tum etiam conditionis personæ. Quæ sufficiunt parochi rurali, non æque sufficiunt parochi civitatis; alia canonico, alia Episcopo onera incumbunt. Non est securior, nec melior regula quam praxis clericorum timoratæ conscientiæ, qui in eodem dignitatis gradu vivunt.

II. Probabilissimum est clericum jus habere adhibendi in usus profanos, modo honestos, superflua bonorum ex oblationibus et foundationibus, quæ scilicet ipsi obveniunt occasione functionis sacræ, puta celebrationis Missarum, concionis sacræ, assistentiæ choro, aut funeralibus...

⁴ Cf. Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. VIII, cap. II. — Th. Raynaud, opusculum *Mala e bonis Ecclesiæ*. — Canonistas passim in tit. xxv, lib. III,

Ita communissime doctores. « Ratio est, ait Reiffenstuel, « quia clericis bona industrialia, ut pura merces laborum, absque « ullo intuitu beneficii dantur; *dignus est operarius mercede « sua*; vel, si non ut merces laboris, saltem dantur sine omni « tacito vel expresso dantis pacto aut onere, eas in causas pias « erogandi, juxta communem sensum fidelium, qui utique in « hoc puncto maxime attendi debet. » (In tit. DE PECULIO CLERICORUM, n^o 13, lib. III Decret.)

Si clericus non haberet dominium plenum in hæc bona id proveniret, vel ex parte fidelium donatorum qui oblationes sub onere conferrent, vel ex parte Ecclesiæ, quæ sic statuisset. Non I^{um}: fideles qui stipendia clericis dant occasione sacri ministerii, intendunt suæ obligationi satisfacere, non vero cogitant de onere ipsis imponendo erogandi superflua in pios usus: imo id oneris plerumque imponere non possent, quoties scilicet dant intra limites auctoritate ecclesiastica assignatos; nam clerici jus habent in hæc stipendia. Non II^{um}: nullum decretum citatur quo Ecclesia imposuerit clericis onus de quo agitur. Canonistæ passim referunt cum laude regulas quas, versus finem sæculi octavi, sanctus Chrodegangus, Episcopus Metensis, dedit canonicis quibus, inter cætera « cuique canonicorum « liberam fecit potestatem accipiendi, et in quos vellet usus expendendi elemosynas quæ pro sua sibi Missa offerebantur. « Ex aliis monumentis perspicue infertur quod, postquam « choro interessentibus certa emolumenta constitui cœperunt, « qui illa lucrabatur, eadem et sua faciebat, expendebatque « libere in proprios usus, cum illorum dominus esset pleno « jure, quemadmodum sunt hodie canonici quoad chorales distributiones. » (*De Synodo*, lib. V, cap. VIII, n^o 5; lib. XIII, cap. XII, n^o 22.)

Inter hæc bona reputandos ducimus redditus qui vocantur *jus stolæ*, quia dantur sine ullo onere, ratione laboris

Decret. DE PECULIO CLERICORUM. — D. Carrière, Tract. *de Justitia*, sect. I, cap. IV.

et sollicitudinis parochi. Si parochus eos percipiat, licet actu non fuerit præsens, ita ordinatum est quia præsumitur aliis functionibus impeditus.

614. — III. Clericus tenetur erogare in pios usus superflua reddituum bonorum ecclesiasticorum, id est beneficiorum.

Concilium Tridentinum Episcopis « omnino interdicit, ne « ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos au- « gere studeant : cum et Apostolorum canones prohibeant ne « res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed « si pauperes sint, iis ut pauperibus tribuant, eas autem non « distrahant, nec dissipent illorum causa... Quæ vero de Epis- « copis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque bene- « ficia ecclesiastica, tam sæcularia quam regularia obtinentibus, « pro gradus sui conditione observari, sed et ad S. R. Ecclesiæ « Cardinales pertinere decernit. » (Sess. xxv, cap. I, de Re- form.) Hæc de Episcopis, canonicis et parochis, qui, in locum veterum beneficiorum, recipiunt pensiones a gubernio civili juxta conventiones initas cum Sancta Sede, intelligenda esse pluries declaravit S. Pœnitentiaria. Censuit nimirum pensiones constitutas induere naturam bonorum ecclesiasticorum, et *an- nexam habere obligationem inhærentem his bonis; scilicet, strictam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis.* (Tract. D. Carrière, de *Justitia*, n° 194.)

Quonam autem titulo innitatur obligatio, an titulo justitiæ, an titulo religionis et juris canonici, dubium est.

Plures, præsertim ex antiquioribus, arbitrantur obligationem oriri ex stricta justitia; unde concludunt clericos impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum in usus profanos, teneri ad restitutionem, aut Ecclesiæ, aut pauperibus faciendam, eodemque onere adstringi omnes a clericis pecuniam recipientes, quam certo sciunt ex beneficio ecclesiastico illis obvenisse. Suam opinionem probant: 1° Ex textibus SS. Patrum et juris canonici, in quibus bona ecclesiastica dicuntur *res sacræ et patrimonium pauperum.* 2° Ex intentione fidelium qui bona

sua dederunt quidem ad sustentationem clericorum, sed simul ad sublevamen pauperum et alios usus pios. Voluerunt promoveri cultum Dei, satisfacere pro suis peccatis, prodesse Ecclesiæ, neutiquam autem fovere luxum clericorum. 3° Ex intentione Ecclesiæ, quæ conferendo beneficia quorum habet dispensationem, noluit concedere plenum dominium reddituum beneficiorum, sed usumfructum cum onere erogandi superflua in pios usus. Debit procul dubio providere ne frustraretur intentio donatorum; porro non datur efficacius medium hunc finem assequendi, quam si imponatur onus justitiæ.

Alii canonistæ, auctoritate et numero minime impares, docent obligationem clerici oriri solummodo ex virtute religionis et jure canonico; et proinde eum excusant ob onere restituendi, si redditus superfluos dederit consanguineis, aliave ratione dissipaverit. Suam sententiam duplici præsertim argumento adstruere enituntur. 1° Ex beneficiorum origine, quæ, si excipiatur pars reservata ab initio Ecclesiis et pauperibus, erecta fuerunt potissimum in gratiam clericorum, ut habeant congruam sustentationem, in mercedem laborum. 2° Ex textibus Decretalium et concilii Tridentini, quibus dicitur clericum, qui debite sua officia exsequitur, *facere fructus suos*; facere autem *fructus suos*, idem omnino est ac eorundem acquirere dominium plenum.

Inter hæc quid nobis probabilius videatur paucis aperiemus. Arbitramur clericos obligatos initio fuisse, titulo justitiæ, ad impendenda superflua in pios usus; in statu autem præsentium superesse solam obligationem quam in bonum charitatis et religionis, jus canonicum induxit.

Primis sæculis prædia, et res mobiles, donata fuere Ecclesiæ, ut in communi administrarentur sub auctoritate Episcopi, qui exinde tum suæ Ecclesiæ clero, tum impensis cultus publici, tum pauperum necessitatibus consulebat. Præscriptum quidem olim fuit quatuor tam de reddito quam de oblatione fidelium, « prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, fieri portiones

« quarum una sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda; » (Cap. *Quatuor*, 27; de *Redditibus*, 28, caus. XII, quæst. II.) Verum, cum nulla monumenta probent hanc partitionem re ipsa factam fuisse regulariter in omnibus Ecclesiis; cum nulla illius vestigia supersint in antiquitate, nec ubivis reperiatur pars assignata pauperibus et fabricæ; jure concludimus beneficia quæ ex bonis communibus Episcopi erexerunt, ut perpetuo titulo adnecterentur officio spirituali cujusque clerici, fundata fuisse cum onere quo gravabatur massa communis; ergo clerici debuerunt titulo justitiæ, hæc bona impendere in Ecclesiæ et pauperum necessitates. Idem dicemus de beneficiis quæ postea erecta sunt iisdem conditionibus; quoties scilicet ex tabulis foundationis, constat donatorem fundum constituisse ea lege, ut clericus cui dispensatio demandanda erat, exinde necessaria sibi assumeret, reliqua Ecclesiæ et pauperibus erogaret.

Eamdem obligationem insitam beneficiis fuisse, quæ sæculis subsequentibus erecta sunt, præsertim quando institui cœperunt separatim xenodochia, et assignari bona peculiariter fabricis Ecclesiarum, non probatur.

∥ « Nemo cogendus est, ait Schmalzgrueber, ad restitutionem alicujus rei, nisi constet esse alienam, et lege justitiæ alteri debitam; atqui nulla ratione, nec auctoritate, constat beneficiarios lege justitiæ ad partem aliquam reddituum suorum dandam alteri... Non constat quod fideles qui hæc bona contulerunt illa donaverint sub hoc modo et conditione; et quamvis desideraverint ex superfluis ali pauperes, tamen valde est credibile eos hanc obligationem non imposuisse, tum quia non dubitabant clericos hoc sponte facturos, tum quia modestiores ac reverentiores erant, quam ut clericis auferent hanc obligationem imponere... Nec in sanctis canonibus clare explicatur quod Ecclesia clericis imposuerit obligationem justitiæ; atqui oportuisset clarius explicare si voluisset obligationem istam imponere, cum magni momenti res sit, ut

« pote quæ ad omnes beneficiarios pertinet, et summopere ad pauperum sustentationem confert. » (In titulum DE PECULIO CLERICORUM, n^o 52.)

Constitutis igitur beneficiis, ut nunc sunt, in dotationem personalem clerici, non putamus beneficiatos peccare contra justitiam commutativam, si superflua bonorum impendant in quem voluerint usum. Tenentur tamen, ad mentem Ecclesiæ, eadem superflua erogare in pios usus.

Vetitum olim fuit clericis testamentum condere ex bonis post suam promotionem acquisitis, nulla adhibita distinctione inter redditus oblationum et redditus beneficiorum; omnia enim quæ ex bonis Ecclesiæ, vel oblationibus fidelium sibi comparaverant, tenebantur Ecclesiæ dimittere, ut probant textus juris allati in tit. XXV et XXVI, lib. III Decret. Contraria, multis abhinc sæculis, invaluit consuetudo. Testamenta clericorum valent in foro externo Ecclesiæ; quia nimium difficile foret discernere, ea quæ jure patrimoniali aut quasi-patrimoniali legare potuit clericus, ab aliis quæ impendere debuit in pios usus. In foro autem conscientiæ cavendum est, ne dispositione testamentaria, non secus ac donatione inter vivos, superflua bonorum ecclesiasticorum ad usus profanos convertantur¹.

¹ SS. Pontifices instituerunt olim *Jus spoli*, ad tuendum canones quibus sancitum est ut Ecclesiæ bona in pios usus convertantur, et ne clerici ditarent suos consanguineos ex bonis ecclesiasticis. *Spolia* dicebantur bona quæ clericus habuerat ex bonis ecclesiasticis, et de quibus non disposuerat adhuc vivens in pios usus. Hæc bona Rom. Pontifices adscribenda statuerant cameræ apostolicæ, et per collectores ac subcollectores in provinciis constitutos colligi curabant, statim post beneficiorum mortem, et cuncta in pauperum alimenta, in Ecclesiarum sublevamen, in aliosque pios usus impendi, juxta regulas a S. Sede præstitutas. Quod si ipsamet Ecclesia beneficiarii defuncti his spoliis indigebat, ea Sedes apostolica facile remittebat, ut in illius utilitatem converterentur, cujus praxis exemplum videmus in Const. Benedicti XIV, *Pastoralis*, an. 1756, data pro regno Neapolitano. De jure spoli, quod usu non fuit introductum aut saltem non invaluit in Gallia, nec in pluribus aliis provinciis, hæc dicta sufficient. Cf. Thomassin, part. III, lib. II, cap. LVII; — Ferraris, v^o *Spolium*; — Devoti, lib. II, tit. XVIII. — SS. Pius IX præscripsit, ad mentem canonum,

nem parœciarum et diœceseon pro foro ecclesiastico, aliam pro foro civili.

Hæc interpretatio non restringitur ad primam circumscriptionem, quæ fieri debuit post concordatum. Etenim : 1^o concordatum est regula permanens juris canonici pro Ecclesiis Galliarum, quoadusque illi derogatum fuerit legitima auctoritate; 2^o non patitur ratio, nec æquitas servanda in practica interpretatione concordati, ut circumscriptio quæ aliter fieri non potuit quam mutuo consensu Episcopi et Gubernii, immutari deinde possit pro solius Episcopi arbitrio. Ergo Episcopus valebit quidem delegare jurisdictionem presbytero, cui talem partem diœcesis regendam demandare voluerit, sed non aderit titulus canonice erectus, cui annectatur jure communi jurisdictio ordinaria cum perpetuitate officii ad vitam titularis.

De erectione ac divisione succursalium dubium moveri potest, an comprehendantur in regula generali; quidquid vero speculative dicatur, in praxi vix possibile videtur ut fiant succursalium erectiones, nec divisiones stabiles, absque consensu mutuo Episcopi et Gubernii, ut patebit infra, ubi dicetur de administratione temporali bonorum Ecclesiæ.

605. — V^o *Utrum et quatenus beneficia gravari possint onere pensionis?*

Pensio est jus percipiendi portionem aliquam fructuum ex alieno beneficio, alicui concessum ad tempus, vel in perpetuum.

1^o Certum est S. Pontificem posse imponere pensionem, etiam in perpetuum, beneficiis ecclesiasticis; licet enim non sit dominus beneficiorum, neque illorum fructuum, sed solum administrator et dispensator, dispositionem tamen habet omnium Ecclesiarum, dignitatum aliorumque beneficiorum, ut de iis in bonum Ecclesiæ catholicæ, et Ecclesiarum particularium necessitates statuatur, prout in Domino sibi visum fuerit. Cap. *Licet*, 2, DE PRÆBENDIS, in VI^o. (Pirhing, in tit. XII, lib. III, n^o 9.)

2^o Certum est Episcopum non posse imponere beneficiis pensionem in perpetuum. Ita unanimiter canonistæ, qui suam sententiam deducunt ex decreto Concilii Lateranensis II, quo præceptum fuit « ut clerici absque imminutione aliqua, collata sibi « dignitate et beneficio perfruantur. »

Æquum est ut qui solus sustinet onera officii, solus etiam fruatur fructibus eidem officio attributis, exceptis casibus jure prævisis, de quibus diximus in solutione quæstionum præcedentium, et aliis de quibus superest ut nonnulla notentur.

Quamvis disciplina concilio Lateranensi constabilita, ubique obtinuerit a prima ætate qua instituta fuerunt beneficia, exceptionem tamen admiserunt sanctissimi Præsules, et sua agendi ratione confirmaverunt SS. Pontifices, nedum in gratiam clericorum qui diu utiliterque operam dederant Ecclesiis, quas subinde, senio aut laboribus confecti, deserebant, quin etiam indulgendo aliis qui pro suis criminibus e sua sede dejecti fuerant. Ita fecisse leguntur, inter cæteros, S. Gregorius Magnus, S. Gregorius VII et Innocentius III. Hujus rationis agendi motiva allegavit S. Gregorius Magnus in Ep. 55 ad Maximianum Syracusanum, lib. III : *Nimis impium est, si alimentorum necessitati post vindictam subjaceat*¹.

604. — Ob similes causas, Episcopus potest, ex communi doctorum sententia, imponere beneficio pensionem temporalem quæ ad vitam beneficiarii gravati duret, quod deducitur ex cap. *Nisi essent*, 21, DE PRÆBENDIS. An vero possit imponere pensionem ad vitam pensionarii, ita ut si beneficiarius in cujus beneficio constituta est, decedat ante alterum cui pensio solvitur, onus transeat ad successorem, controvertitur inter canonistas. Plures negant, quorum opinionem Fagnan pluribus argumentis demonstrare enixus est in suo commentario canonis *Nisi essent*, n^{is} 48-65, et Reiffenstuel, in tit. XII, n^{is} 92-99. Ratio est, juxta illos, quod Sancta Sedes non toleraverit pensionem con-

¹ Cf. Gohard, tom. III, pag. 572.

stitui ab Episcopo nisi ad vitam beneficiarii gravati, ne beneficium videatur divisum, si, beneficiario defuncto, onus transeat ad successorem. Alii aliter sentiunt, et plures textus juris vindicant in suæ opinionis defensionem, qui tamen thesim certo non probant. Inter hæc, Pirhing animadvertit usu saltem receptam videri sententiam affirmativam in quibusdam casibus, quidquid sit de jure stricto; quod et Schmalzgrueber eodem sensu asserit: « Dicendum, inquit, saltem vi consuetudinis, Episcopus posse imponere pensiones, ad pensionarii vitam se extendentes. » (Pirhing, n° 10; Schmalzgr., n° 8, in tit. XII, lib. III.)

In illam sententiam inclinamus, eo magis quod rationes quæ determinant constitutionem pensionis, communiter requirunt ut ad vitam pensionarii extendatur. Cæterum in Galliis, ubi non sunt beneficia præter Episcopatus, canonicatus et parochias, res alio modo componitur qui difficultatem canonicam removet. Non loquimur de Episcopis qui suæ sedi renuntiant; ipsis confertur canonicatus capituli Sancti-Dionysii, aut pensio annua assecratur a gubernio... Canonici non resignant suum beneficium ob causam infirmitatis; si alia ratione cogantur illud dimittere, Episcopus non potest ex officio imponere pensionem præbendæ vacaturæ, quæ tota consistit in pensione solvenda a gubernio et vix sufficit canonicis ad suam congruam sustentationem. Providetur necessitatibus beneficiarii resignantis, ex bonis de quibus disponit curia Episcopalis, vel postulatur pensio, quam ordinarie confert gubernium civile, præsertim si resignans sit propectæ ætatis. Aliquando Episcopus assensum obtinet a novo titulari, ut partem determinatam suæ pensionis det canonico resignanti, quæ conventio eodem sensu renovatur cum singulis successive canonicis, qui eandem præbendam assequuntur, vivente adhuc veteri titulari... Quod ad parochias attinet, Episcopus non potest imponere pensionem titulo parochiali, qui plerumque vix est sufficiens parochus, ut munus suum decenter expleat, neque redditibus parochiæ quorum admi-

nistratio fabricæ commissa est. Ipsamet fabrica jus non habet constituendi pensionem in futurum, ad vitam parochi resignantis duraturam; sed nihil obstare videtur quominus præstet subsidium fixum pro anno currenti, cum intentione illud prorogandi quotannis, quandiu necessitas exegerit. Ita providetur non solum parochus, sed vicariis, et cæteris qui per tempus notabile laudabiliter inservierunt.

Nihil est, in tali ordinatione, quod adversetur Decreto Innocentii XII, diei 11^æ novembris an. 1692, prohibentis ne Ecclesiæ parochiales in posterum graventur oneribus pensionum, et ne admittantur resignationes beneficiorum parochialium cum reservatione pensionum, ad cujuscumque favorem, et sub quocumque titulo, etiam præstationis alimentorum. Nec eidem decreto contradiceret Episcopus qui, sciens titularem parochiæ habere, præter pensionem gubernii, redditus abundantes, postularet ab eo ut partem donet resignanti, qui tali sublevamine indiget.

Nota. Pensiones extinguuntur morte pensionarii, voluntaria renuntiatione, professione religiosa, qua clericus privatus fuisset beneficio, si ad tempus usque professionis illud retinisset.

605. — VI^o *Quid jure servandum in collatione beneficiorum?*

In collatione beneficii attendendum est maxime ad idoneitatem promovendorum, ad jura patronorum, ad regulas canonicas de incompatibilitate beneficiorum, demum ad formam collationis.

I. De idoneitate clericorum ad beneficia diximus in I^a parte Prælectionum (n^{is} 290, 291, 292). Unum addemus, scilicet clericos idoneos assumendos esse ad officia ecclesiastica, cujusvis nationis sint; anteponendos tamen indigenas exteris, cæteris paribus.

Innocentius III conquestus est de patriarcha Constantinopolitano qui nullos in clerum suæ Ecclesiæ præter Venetos

admittebat, non attendens quod, in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possideri. Quocirca, scripsit ad legatos Sedis Apostolicæ: « Mandamus quatenus moneatis eundem, ut viros litteratos, et alias idoneos, undecumque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis et maxime in majori, instituere non possint, ponat, alioquin indignum se reddat, ut vos aliarum clericos nationum ad ejus obedientiam compellatis. » Cap. *Ad decorem*, 5, DE INSTITUTIONIBUS, lib. III Decret. Id vero non obstat quominus anteposendi sint, cæteris paribus, indigenæ alienigenis; quod olim servabatur regulariter in ipsa electione Episcoporum, ut testatur sanctus Cælestinus Papa, scribens ad Episcopos provinciæ Viennensis: « Nec emeritis in suis Ecclesiis clericis, ait, peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui bene de suorum civium merentur testimonio, præponantur¹. » Ad eandem disciplinam alludit Innocentius III, in alia epistola decretali: « Cautum, inquit, reperitur in canone, ut tunc alter de altera Ecclesia eligatur, cum nullus in propria fuerit repertus idoneus. » Cap. *Cum nobis*, 19, DE ELECTIONE, lib. I Decret. Quod de electione Episcoporum observabatur, idem etiam et a fortiori de clericis inferioribus in praxi obtinuerat ob rationes a sancto Cælestino allegatas. Melius nosse præsumitur indolem atque utilitates incolarum, qui inter ipsos a prima ætate conversatus est. « Qui de gremio Ecclesiæ assumitur, ait sanctus Thomas, in pluribus consuevit esse utilior ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam in qua est nutritus. » (2^a, 2^o quæst. 63, art. 2, ad 4.) In ea insuper stabilis permanet, dum extranei plures remeare intendunt ad propria, cum suum finem assecuti fuerint. Qui igitur de gremio diocesis assumitur, merito reputatur, cæteris paribus, dignior; magis utique parochiis, et aliis officiis clericalibus, utilis est².

¹ D. Coustant, *Epistolæ RR. PP.*, pag. 1070.

² Cf. Fagnan in cap. *Cum Dilectus*, DE CONSUETUDINE. — Thomassin, *Ve-*

606. — II. De *juribus patronorum* pauca notabimus, cum vix supersint apud nos vestigia patronatus in materia beneficiæ¹.

Ecclesia plures prærogativas largita est fundatoribus et benefactoribus beneficiorum, in signum grati animi, et ad excitandum zelum fidelium in constituendo pias fundaciones. Ipsis præsertim concessit jus nominandi personam cui beneficium vacans conferri debeat, modo tamen idonea reperiatur. Si plures sint patroni, nec consentiant in eundem, ille præfertur ex præsentatis cui major pars votorum suffragatur; si paria sint vota, Episcopus potest, cum tempus jure præfixum advenerit, eligere inter duos aut plures præsentatos, quem maluerit; quod similiter agere ipsi fas est, si forte patronus plures successive præsentaverit. Cap. *Cum autem*, 24, DE JURE PATRONATUS, lib. III Decretalium. Legitime præsentatus, modo dotibus canonicis instruat, jus habet ad beneficium adipiscendum, adeo ut collatio alteri facta, nulla et irrita declaretur.

Jus patronatus triplici titulo acquiritur: 1^o *Privilegio* Sanctæ Sedis, quæ illud quandoque magnatibus concessit, ob illorum in Ecclesiam merita. 2^o *Fundatione, constitutione, seu dotatione* alicujus Ecclesiæ, capellæ, aut beneficii, uti statuit concilium Tridentinum (sess. XIV, cap. XII; sess. XXV, cap. IX, de *Reform.*). Si unus beneficium fundaverit, donando aream, seu fundum; alter suis sumptibus ædificium construxerit; alter dotem competentem assignaverit, hi tres participant in solidum jura patronatus. « Quæritur, ait Card. Soglia, an fundacione de consensu Episcopi absoluta, jus patronatus acquiratur, quamvis fundator in suæ fundacionis tabulis jus illud sibi expresse non reservaverit. Jam vero certum exploratumque

tus et Nova Disciplina, part. II, lib. I, cap. CIII. — Ferraris, v^o *Beneficium*, art. v, n^o 44.

¹ Canonistæ multa disserunt de juribus et obligationibus patronorum; item de acquisitione, transmissione et extinctione juris patronatus, in suis commentariis tituli XXXVIII, DE JURE PATRONATUS, lib. III Decretalium.

« est in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, jus patronatus
 « non acquiri nisi expresse reservatum et Apostolica auctori-
 « tate probatum sit...; sed quod ad inferiores Ecclesias et bene-
 « ficia pertinet, magis recepta sententia est jus patronatus jure
 « ipso inesse foundationi Ecclesiæ, vel dotationi, ut proinde cum
 « Ordinarius in fundationem et dotationem consenserit, consen-
 « sisse etiam in jus patronatus fundatori, vel dotanti tribuen-
 « dum censeatur, nisi fundator expresse aut tacite eidem juri
 « renuntiaverit; expresse quidem per tabulas, seu scripturas,
 « aut aperta verba; tacite vero per non usum, veluti si fundator
 « diu passus est Ecclesiam vel beneficium pluries ac libere ab
 « Episcopo conferri. » (*Institutiones juris privati*, lib. II,
 cap. III, § 102.) 3^o Præscriptione etiam acquiritur jus patro-
 natus; quæ præscriptio statuitur « ex multiplicatis præsentati-
 « onibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum
 « memoriam excedat, » uti fert decretum concilii Tridentini.
 In iis vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus,
 in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum
 præsumi solet, plenior et exactior probatio ad firmandum titu-
 lum requiritur: « nec immemorabilis temporis probatio aliter
 « eis suffragatur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria,
 « præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quam
 « quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ
 « sint, authenticis scripturis probentur, » ex præscripto ejus-
 dem concilii. (Sess. xxv, cap. ix.)

Jus quod multis principibus, vi concordatorum, comparatur
 nominandi ad sedes episcopales, maximam analogiam habet
 cum jure patronatus, eique non sine ratione æquiparatur. Eo-
 dem jure potitur, ex indulto Apostolico, Imperator Galliarum
 quoad omnes præbendas et officia capituli insignis collegiatae
 Sancti Dionysii.

607. — III. De *multiplicitate beneficiorum* animadverten-
 dum est: 1^o Clericos olim uni Ecclesiæ, cui servire deberent,
 sua ordinatione adscriptos fuisse. Cum beneficia ab ordinatione

sejuncta esse cœperunt, interdixerunt leges canonicæ ne eidem
 clerico plura conferrentur beneficia, quia unus non potuisset
 plura simul officia in diversis Ecclesiis gerere. Cum autem
 lapsu temporum imminuti fuissent beneficiorum redditus, oportuit
 aliquo moderamine uti, solvendo clericos a lege residentia-
 tiæ quoad quædam beneficia, lege firma remanente pro cæ-
 teris; et exinde orta est distinctio inter beneficia *incompati-*
bilia et *compatibilia*. 2^o Beneficia quæ habent curam anima-
 rum, aut quæ officium conferunt, onus residentia-
 tiæ personalis important et dicuntur incompatibilia, quapropter duo ex hujus-
 modi beneficiis eidem clerico conferri non possunt. Si clericus
 duo successive receperit, primum ipso jure vacat, et si utrum-
 que retinere voluerit beneficiarius, illum utroque privandum
 sanxerunt jura, super quibus solus S. Pontifex dispensare
 potest. (Cap. *Execrabilis* DE PRÆBENDIS, Extravag. Joan. XXII,
 Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. XVII, *De Reform.*)
 3^o Beneficia quæ, nec natura officiorum ipsis annexorum, nec
 conditionibus foundationis, residentiam personalem requirunt,
 non sunt incompatibilia.

Concilium statuit ut in posterum unum tantum beneficium
 ecclesiasticum singulis conferatur. « Quod quidem, si ad vitam
 « ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat
 « nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque
 « personalem residentiam non requirat, eidem conferri. » Re-
 gula igitur generalis est clericum non posse plura beneficia,
 etiam simplicia, retinere, si unum habeat sufficientes redditus,
 ut clericus honeste ac decenter vivat. « Sed nunc, subjungit
 « Devoti, ex consuetudine ubique recepta, nemo in foro contro-
 « versiam patitur, quod duo beneficia simul possidet, etiamsi
 « unum satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo
 « utrumque residentiam non requirat. » (Lib. II, tit. XIV,
 sect. I, § 17.) Hæc locum non habent in statu præsentis Eccle-
 siarum Galliæ.

608. — IV. De *collatione beneficiorum* notare est illa conferri

electione, concursu et collatione libera. De electione diximus in 1^a parte, ubi de electione S. Pontificis et Episcoporum. Regulas canonicas de concursu instituendo pro beneficiis parochialibus exposuimus in eadem parte, in sectione de Parochis. Superest proinde ut de forma servanda in collatione quædam addamus.

Jure communi nulla forma specialis præscribitur in collatione beneficiorum. Sola regula generalis, praxi constanti omnium Ecclesiarum recepta, est nullum beneficium conferri sine litteris authenticis quibus voluntas collatoris et ipse actus collationis, absque ambiguitate significetur, adeo ut nullus admittendus sit in beneficii possessionem sine eisdem litteris expeditis et exhibitis. Litteræ præferunt nomen atque dignitatem collatoris; expriment titulum atque naturam beneficii, Ecclesiam ubi situm est, nomen clerici cui confertur, diem et annum quo perfecta est collatio, cum subscriptione collatoris, sigillo plerumque munita; aut saltem subscriptione cancellarii.

Bonifacius VIII interdixit, constitutione perpetuo valitura, ne Episcopi et alii prælati superiores, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut ab ea munus confirmationis recipiunt, regimen Ecclesiarum seu bonorum ecclesiasticorum administrationem capessere præsumant, absque litteris authenticis eorum promotionem, seu confirmationem, continentibus. Eadem constitutione animadvertitur contra omnes qui Episcopos recipere sine litteris apostolicis, aut eis parerent; quin insuper capitula et conventus mulctantur pœna suspensionis a beneficiis suorum perceptione, donec super hoc veniam Sanctæ Sedis meruerint obtinere. Cap. *Injunctæ*, DE ELECTIONE, inter Extrav. communes. (N^o 209.)

De beneficiis minoribus a S. Pontifice conferendis, sunt etiam regulæ cancellariæ quæ rescriptum requirunt pro beneficiis minoribus a S. Pontifice conferendis, adeo ut nemo aliter valeat se in officii regimen ingerere, et fructus beneficii sibi vindicare. Porro, pontifex duplici modo litteras collationis

expedit: nempe *in forma gratiosa*, et *in forma dignum*, quæ etiam *commissoria* nuncupatur. Litteræ provisionis dantur *in forma gratiosa*, quando summus Pontifex alicui beneficium confert, intuitu meritorum quibus clericum ornatum et apud se commendatum esse affirmat, adeo ut executori non permittatur ejusdem clerici merita ad examen revocare, sed debeat eum, visis litteris Apostolicis, in possessionem beneficii deducere. Litteræ dantur *in forma dignum*, quando Pontifex mandat Ordinario ut certum beneficium alicui conferat, si tamen prævio examine idoneum esse repererit. Dicuntur *in forma commissoria*, quia Pontifex non confert beneficium, sed collationem committit Ordinario, qui proinde partes judicis assumet, et cognoscet de veritate clausurarum, seu conditionum eisdem litteris adjectarum; præsertim an providendus reipsa dignus sit, an dotes canonibus requisitas, attenta natura officii, habeat. Hoc genus litterarum communiter usurpatur in beneficiis inferioribus quibus cura animarum inhæret; in cæteris beneficiis forma gratiosa facilius adhibetur¹.

*609. — VII^o *Quandonam provisus de beneficio, inducatur in possessionem tituli, et qui sint effectus captæ possessionis?*

I. Qui institutionem canonicam accepit, non debet propria auctoritate se in regimen Ecclesiæ et administrationem temporalium ingerere, donec insuper acceperit possessionem actualem, quæ *investitura*, vel missio in *corporalem possessionem*, dicitur; alioquin pœnis ad arbitrium Episcopi imponendis obnoxius foret.

Communiter qui jus conferendi beneficium habet, illius possessionem actualem tradere potest, seu per se ipsum, seu per alium cui id munus commiserit. Olim ad archidiaconos pertinebat « institutio illa corporalis tam super beneficiis, quam « etiam dignitatibus. » (Cap. *Ad hæc*, 7, DE OFF. ARCHIDIACONI.)

¹ Cardinal Soglia, *Institutiones juris canonici privati*, lib. II, cap. II, § 95.

Hodierna ætate Episcopi, pro arbitrio, hoc officium demandant vicariis generalibus, parochis, aliisque sacerdotibus. Quamvis nulla forma jure sancita fuerit in possessione ineunda, et Episcopus possit, si opportunum duxerit, conferre investituram verbalem, adhibito quocumque signo possessionem beneficii denotante, usu tamen prævaluit, ut possessio corporalis accipiatur per introductionem in locum beneficii cum traditione clavium, vel alio ritu qui officium et jura beneficiati significet; v. g. si canonico stallum in choro tradatur, si parochus altare osculetur, si sedem convenientem occupet...

Possessio traditur vel ipsi beneficiato, vel ejus procuratori, speciale mandatum habenti¹.

Omnes qui tenentur, ad præscriptum juris communis, emitte professionem fidei, debent hanc professionem agere per seipsos, non per procuratorem. Benedictus XIV plures responsiones S. Congregationis refert, quibus declaratur *professionem fidei per procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari*². Qui beneficium cum cura animarum obtinuerunt, fidem profiteri debent coram Episcopo, aut vicario generali. De professione fidei a canonicis emittenda alibi dictum est. (Nº 401.)

II. Jus canonicum effectus dat captæ possessionis, nimirum : 1º Possessio cum justo titulo et bona fide jus tribuit officium spirituale cum jurisdictione, si quæ officio adnectatur, exercendi, et percipiendi fructus beneficii; 2º qui anno integro possederit, jus habet, in casu quo competitor idem beneficium obtinuisse prætendit, in sua possessione manendi donec lis dirimatur; 3º si per triennium pacifice possederit, non amplius potest in jus vocari, suaque possessione exturbari; si quidem possessio triennis effectum eundem parit ac præscriptio completa, tum in foro externo, tum in foro interno. (Nº 291³.)

¹ In Gallia pensiones a Gubernio datæ titularibus, non currunt nisi a die possessionis.

² *Institutione* lx, nº 3.

³ Cf. Riganti in regulas xxxv et xxxvi cancellariæ.

610. — VIIIº *Utrum et quatenus beneficiarius possit dimittere, permutare, aut resignare suum beneficium?*

I. *Dimissio simplex*, seu *resignatio beneficii* absque ulla conditione, licita est, et clericum solvit a vinculo quo Ecclesiæ, seu beneficio devincitur, modo tamen libere fiat, et fuerit acceptata a superiore. Si beneficiarius adducatur ad renuntiationem vi, metu, aliave causa injusta, actus cessionis est rescindibilis. Si superior non duxerit acceptandam dimissionem, beneficium non vacat; imo beneficiarius cogi potest, comminatione censurarum, ad implenda onera officii; ex quo autem renuntiatio, libere facta, acceptata fuerit, irrevocabilis est, adeo ut nullus amplius locus sit penitentia. (Nº 504.)

Notandum 1º Concilium Tridentinum prohibuisse, ne clericus qui ordinatus fuit sub titulo cujusdam beneficii, illud dimittat, nisi facta mentione hujus tituli, et assecurato alio medio honestæ sustentationis. (Nº 321.) Notandum 2º S. Pium V prohibuisse, ob eandem rationem, ne clericus « sacro ordini « mancipatus, nisi religionem ingressurus, ullo modo valeat beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde « ei sit, quo in vita possit commode sustentari. » Const. *Quanta*, an. 1566.

611. — II. *Permutatio* locum habet quando duo beneficiati sibi mutuo cedunt proprium beneficium.

Canones vetant fieri permutationes sine causa necessitatis, seu utilitatis, sin Ecclesiarum saltem clericorum, et nisi accesserit auctoritas superioris, qui est S. Pontifex in beneficiis majoribus, et Episcopus alterve prælatus Ordinarius loci, si agatur de beneficiis minoribus. Possunt quidem beneficiarii tractare de permutatione facienda, alias non consentirent in idem, et permutatio, quam tamen canones non reprobant, esset impossibilis; sed nullatenus possunt permutare propria auctoritate, neque ullum pactum inter se inire, seu de pensione solvenda, seu de jure reassumendi beneficium in casu quo alter præmoriatur, seu aliud id genus. Necessè est ut nulla

intercesserit conditio, præter simplicis permutationis, qua, accedente auctoritate superioris, alter alterius beneficium consequatur.

612. — III. *Resignatio in favorem alterius*, vel sub alia certa conditione, fieri non potest aliter quam auctoritate S. Pontificis. S. Pius V, Const. præcitata *Quanta Ecclesiæ Dei*, hæc præscripsit: « Caveant Episcopi, itemque omnes electores, præsentatores, et patroni... ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, « futuri beneficiis et officiis successores ab ipsis resignantibus, « aut aliis eorum significatione, vel hortatu, designentur, aut « de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio, « qualiscumque intercedat. Cæterum præcipimus atque interdici- « mus, ne ipsi Episcopi aut alii collatores de beneficiis et « officiis resignandis, aut suis, aut dimittentium consanguineis « affinibus, vel familiaribus... audeant providere; quod si secus, « ac etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum, « fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc « vires et effectum decernimus non habere. » Aliis decretalibus et constitutionibus velita fuere quævis pacta in resignatione beneficiorum, quæ infra exponentur, quando de pœnis contra simoniacos latis disserendum nobis erit; quamobrem dicendum est omnem renuntiationem conditionalem, omnem imprimis resignationem in favorem alterius, illicitam et prorsus irritam fore, nisi a S. Pontifice approbetur.

De sensu et extensione Constitutionis S. Pii V difficultates moventur apud canonistas, quas paucis indicare satis erit.

1^o Dubitatur an Episcopus valeat acceptare simpliciter resignationem in favorem alterius, rejecta scilicet conditione? Sunt duæ opiniones contradictoriæ: alii affirmant, quia talis conditio, quatenus illicita, habetur pro non adjecta; alii negant, quia, inquit, non potest resignatio admitti pro una parte, et pro alia rejici. Utramque opinionem satis probabilem dicit S. Alph. de Liguori. (Lib. III, n^o 84.) Secundam multo probabiliorem reputamus; siquidem in mente renuntiantis, transmissio

beneficii est conditio resignationis; ergo necesse est ut vel rejiciatur dimissio, vel acceptetur cum conditione.

2^o Dubitatur utrum resignans possit saltem aliquem nominare et commendare Episcopo, nulla ipsi imposita conditione eidem beneficium conferendi? Id vetitum videtur Constitutione sancti Pii V, cujus textum protulimus; tamen non servatur cum tanto rigore in praxi, et S. Liguori valde probabile asserit textum hujus Constitutionis juxta hunc sensum posse intelligi quod licitum sit resignanti, in ipso actu renuntiationis « decla- « rare Episcopo desiderium quod beneficium conferatur certæ « personæ; modo absit pactum, ut conditio rigorosa suspen- « dens... quia tunc revera resignatio fit simpliciter, et Episco- « pus liber est ad conferendum beneficium cui vult. » (Loco cit., 85.)

3^o Dubitatur tandem, an ea sit vis Constitutionis Pianæ, ut Episcopus nunquam valeat beneficium conferre cognatis, affinibus, aut familiaribus resignantis? Quoties beneficium vacat per resignationem, Episcopus nullo modo potest illud suis, aut resignantis, cognatis, affinibus, seu familiaribus, conferre; quod eo usque servandum in praxi declaravit Sancta Congregatio, ut si parœcia sic vacaverit, Episcopus non debeat suos aut resignantis consanguineos, etc., ad concursum admittere, et alicui ex ipsis, quatenus præ cæteris dignior deprehensus fuerit, parochiale beneficium dare. Concludendum est Episcopum non posse parœciam supradictis conferre, aliter quam si per obitum, vel per judicium criminale vacaverit; nisi forte de regionibus agatur ubi bulla *Quanta* ex diuturna consuetudine non vigeret, ut de suis respective regionibus asserunt nonnulli canonistæ¹. (Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. xxiv, n^{is} 12-16.)

613. — IX^o *Utrum et quomodo titulo clerici teneantur,*

¹ Cf. Ferraris, v^o *Renuntiatio*, n^{is} 32 et 41. — Card. de Luca, discursus LXV, *de Beneficiis*. — Garcias, *de Beneficiis*, part. XI, cap. III, n^{is} 270, 271.

impendere in usus pios superflua bonorum quæ ipsis obveniunt ex oblationibus fidelium, ex foundationibus, et ex beneficiis ecclesiasticis?

I. Certum est clericum jus habere utendi ad sustentationem honestam, bonis quæ sibi obveniunt, ex oblationibus fidelium, foundationibus et beneficiis, occasione functionis sacræ, aut officii permanentis.

Ita omnes theologi et canonistæ interpretantur verba sancti Pauli: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* (1^a ad Cor., cap. ix, 13, 14.)

Hæc doctrina fundatur æquitate naturali, et intentione fidelium qui oblationes offerunt, seu beneficia clericalia erigunt: applicatur etiam in casu quo clericus ex bonis patrimonialibus sufficienter habet unde sibi provideat; æquum est enim ut nemo cogatur militare suis stipendiis. Quæ autem requirantur ad honestam clerici sustentationem, et quæ superflua censeantur, non potest certis regulis, modo absoluto, præfiniri. Congrua sustentatio non eadem in singulis requirit: ratio habenda est, tum qualitatis beneficii, tum usus regionis, tum etiam conditionis personæ. Quæ sufficiunt parochi rurali, non æque sufficiunt parochi civitatis; alia canonico, alia Episcopo onera incumbunt. Non est securior, nec melior regula quam praxis clericorum timoratæ conscientiæ, qui in eodem dignitatis gradu vivunt.

II. Probabilissimum est clericum jus habere adhibendi in usus profanos, modo honestos, superflua bonorum ex oblationibus et foundationibus, quæ scilicet ipsi obveniunt occasione functionis sacræ, puta celebrationis Missarum, concionis sacræ, assistentiæ choro, aut funeralibus...

⁴ Cf. Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. VIII, cap. II. — Th. Raynaud, opusculum *Mala e bonis Ecclesiæ*. — Canonistas passim in tit. xxv, lib. III,

Ita communissime doctores. « Ratio est, ait Reiffenstuel, « quia clericis bona industrialia, ut pura merces laborum, absque « ullo intuitu beneficii dantur; *dignus est operarius mercede « sua*; vel, si non ut merces laboris, saltem dantur sine omni « tacito vel expresso dantis pacto aut onere, eas in causas pias « erogandi, juxta communem sensum fidelium, qui utique in « hoc puncto maxime attendi debet. » (In tit. DE PECULIO CLERICORUM, n^o 13, lib. III Decret.)

Si clericus non haberet dominium plenum in hæc bona id proveniret, vel ex parte fidelium donatorum qui oblationes sub onere conferrent, vel ex parte Ecclesiæ, quæ sic statuisset. Non I^{um}: fideles qui stipendia clericis dant occasione sacri ministerii, intendunt suæ obligationi satisfacere, non vero cogitant de onere ipsis imponendo erogandi superflua in pios usus: imo id oneris plerumque imponere non possent, quoties scilicet dant intra limites auctoritate ecclesiastica assignatos; nam clerici jus habent in hæc stipendia. Non II^{um}: nullum decretum citatur quo Ecclesia imposuerit clericis onus de quo agitur. Canonistæ passim referunt cum laude regulas quas, versus finem sæculi octavi, sanctus Chrodegangus, Episcopus Metensis, dedit canonicis quibus, inter cætera « cuique canonicorum « liberam fecit potestatem accipiendi, et in quos vellet usus ex- « pendendi elemosynas quæ pro sua sibi Missa offerebantur. « Ex aliis monumentis perspicue infertur quod, postquam « choro interessentibus certa emolumenta constitui cœperunt, « qui illa lucrabatur, eadem et sua faciebat, expendebatque « libere in proprios usus, cum illorum dominus esset pleno « jure, quemadmodum sunt hodie canonici quoad chorales dis- « tributiones. » (*De Synodo*, lib. V, cap. VIII, n^o 5; lib. XIII, cap. XII, n^o 22.)

Inter hæc bona reputandos ducimus redditus qui vocantur *jus stolæ*, quia dantur sine ullo onere, ratione laboris

Decret. DE PECULIO CLERICORUM. — D. Carrière, Tract. *de Justitia*, sect. I, cap. IV.

et sollicitudinis parochi. Si parochus eos percipiat, licet actu non fuerit præsens, ita ordinatum est quia præsuntur aliis functionibus impeditus.

614. — III. Clericus tenetur erogare in pios usus superflua reddituum bonorum ecclesiasticorum, id est beneficiorum.

Concilium Tridentinum Episcopis « omnino interdicat, ne « ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos au- « gere studeant : cum et Apostolorum canones prohibeant ne « res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed « si pauperes sint, iis ut pauperibus tribuant, eas autem non « distrahant, nec dissipent illorum causa... Quæ vero de Epis- « copis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque bene- « ficia ecclesiastica, tam sæcularia quam regularia obtinentibus, « pro gradus sui conditione observari, sed et ad S. R. Ecclesiæ « Cardinales pertinere decernit. » (Sess. xxv, cap. I, de Re- form.) Hæc de Episcopis, canonicis et parochis, qui, in locum veterum beneficiorum, recipiunt pensiones a gubernio civili juxta conventiones initas cum Sancta Sede, intelligenda esse pluries declaravit S. Pœnitentiaria. Censuit nimirum pensiones constitutas induere naturam bonorum ecclesiasticorum, et *an- nexam habere obligationem inhærentem his bonis; scilicet, strictam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis.* (Tract. D. Carrière, de *Justitia*, n° 194.)

Quonam autem titulo innitatur obligatio, an titulo justitiæ, an titulo religionis et juris canonici, dubium est.

Plures, præsertim ex antiquioribus, arbitrantur obligationem oriri ex stricta justitia; unde concludunt clericos impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum in usus profanos, teneri ad restitutionem, aut Ecclesiæ, aut pauperibus faciendam, eodemque onere adstringi omnes a clericis pecuniam recipientes, quam certo sciunt ex beneficio ecclesiastico illis obvenisse. Suam opinionem probant: 1° Ex textibus SS. Patrum et juris canonici, in quibus bona ecclesiastica dicuntur *res sacræ et patrimonium pauperum.* 2° Ex intentione fidelium qui bona

sua dederunt quidem ad sustentationem clericorum, sed simul ad sublevamen pauperum et alios usus pios. Voluerunt promoveri cultum Dei, satisfacere pro suis peccatis, prodesse Ecclesiæ, neutiquam autem fovere luxum clericorum. 3° Ex intentione Ecclesiæ, quæ conferendo beneficia quorum habet dispensationem, noluit concedere plenum dominium reddituum beneficiorum, sed usumfructum cum onere erogandi superflua in pios usus. Debit procul dubio providere ne frustraretur intentio donatorum; porro non datur efficacius medium hunc finem assequendi, quam si imponatur onus justitiæ.

Alii canonistæ, auctoritate et numero minime impares, docent obligationem clerici oriri solummodo ex virtute religionis et jure canonico; et proinde eum excusant ob onere restituendi, si redditus superfluos dederit consanguineis, aliave ratione dissipaverit. Suam sententiam duplici præsertim argumento adstruere enitentur. 1° Ex beneficiorum origine, quæ, si excipiatur pars reservata ab initio Ecclesiis et pauperibus, erecta fuerunt potissimum in gratiam clericorum, ut habeant congruam sustentationem, in mercedem laborum. 2° Ex textibus Decretalium et concilii Tridentini, quibus dicitur clericum, qui debite sua officia exsequitur, *facere fructus suos*; facere autem *fructus suos*, idem omnino est ac eorundem acquirere dominium plenum.

Inter hæc quid nobis probabilius videatur paucis aperiemus. Arbitramur clericos obligatos initio fuisse, titulo justitiæ, ad impendenda superflua in pios usus; in statu autem præsentium superesse solam obligationem quam in bonum charitatis et religionis, jus canonicum induxit.

Primis sæculis prædia, et res mobiles, donata fuere Ecclesiæ, ut in communi administrarentur sub auctoritate Episcopi, qui exinde tum suæ Ecclesiæ clero, tum impensis cultus publici, tum pauperum necessitatibus consulebat. Præscriptum quidem olim fuit quatuor tam de reddito quam de oblatione fidelium, « prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, fieri portiones

« quarum una sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda; » (Cap. *Quatuor*, 27; de *Redditibus*, 28, caus. XII, quæst. II.) Verum, cum nulla monumenta probent hanc partitionem re ipsa factam fuisse regulariter in omnibus Ecclesiis; cum nulla illius vestigia supersint in antiquitate, nec ubivis reperiatur pars assignata pauperibus et fabricæ; jure concludimus beneficia quæ ex bonis communibus Episcopi erexerunt, ut perpetuo titulo adnecterentur officio spirituali cujusque clerici, fundata fuisse cum onere quo gravabatur massa communis; ergo clerici debuerunt titulo justitiæ, hæc bona impendere in Ecclesiæ et pauperum necessitates. Idem dicemus de beneficiis quæ postea erecta sunt iisdem conditionibus; quoties scilicet ex tabulis foundationis, constat donatorem fundum constituisse ea lege, ut clericus cui dispensatio demandanda erat, exinde necessaria sibi assumeret, reliqua Ecclesiæ et pauperibus erogaret.

Eamdem obligationem insitam beneficiis fuisse, quæ sæculis subsequentibus erecta sunt, præsertim quando institui cœperunt separatim xenodochia, et assignari bona peculiariter fabricis Ecclesiarum, non probatur.

« Nemo cogendus est, ait Schmalzgrueber, ad restitutionem alicujus rei, nisi constet esse alienam, et lege justitiæ alteri debitam; atqui nulla ratione, nec auctoritate, constat beneficiarios lege justitiæ ad partem aliquam reddituum suorum dandam alteri... Non constat quod fideles qui hæc bona contulerunt illa donaverint sub hoc modo et conditione; et quamvis desideraverint ex superfluis ali pauperes, tamen valde est credibile eos hanc obligationem non imposuisse, tum quia non dubitabant clericos hoc sponte facturos, tum quia modestiores ac reverentiores erant, quam ut clericis auferent hanc obligationem imponere... Nec in sanctis canonibus clare explicatur quod Ecclesia clericis imposuerit obligationem justitiæ; atqui oportuisset clarius explicare si voluisset obligationem istam imponere, cum magni momenti res sit, ut

« pote quæ ad omnes beneficiarios pertinet, et summopere ad pauperum sustentationem confert. » (In titulum DE PECULIO CLERICORUM, n^o 52.)

Constitutis igitur beneficiis, ut nunc sunt, in dotationem personalem clerici, non putamus beneficiatos peccare contra justitiam commutativam, si superflua bonorum impendant in quem voluerint usum. Tenentur tamen, ad mentem Ecclesiæ, eadem superflua erogare in pios usus.

Vetitum olim fuit clericis testamentum condere ex bonis post suam promotionem acquisitis, nulla adhibita distinctione inter redditus oblationum et redditus beneficiorum; omnia enim quæ ex bonis Ecclesiæ, vel oblationibus fidelium sibi comparaverant, tenebantur Ecclesiæ dimittere, ut probant textus juris allati in tit. XXV et XXVI, lib. III Decret. Contraria, multis abhinc sæculis, invaluit consuetudo. Testamenta clericorum valent in foro externo Ecclesiæ; quia nimium difficile foret discernere, ea quæ jure patrimoniali aut quasi-patrimoniali legare potuit clericus, ab aliis quæ impendere debuit in pios usus. In foro autem conscientiæ cavendum est, ne dispositione testamentaria, non secus ac donatione inter vivos, superflua bonorum ecclesiasticorum ad usus profanos convertantur¹.

¹ SS. Pontifices instituerunt olim *Jus spoli*, ad tuendum canones quibus sancitum est ut Ecclesiæ bona in pios usus convertantur, et ne clerici ditarent suos consanguineos ex bonis ecclesiasticis. *Spolia* dicebantur bona quæ clericus habuerat ex bonis ecclesiasticis, et de quibus non disposuerat adhuc vivens in pios usus. Hæc bona Rom. Pontifices adscribenda statuerant cameræ apostolicæ, et per collectores ac subcollectores in provinciis constitutos colligi curabant, statim post beneficiorum mortem, et cuncta in pauperum alimenta, in Ecclesiarum sublevamen, in aliosque pios usus impendi, juxta regulas a S. Sede præstitutas. Quod si ipsamet Ecclesia beneficiarii defuncti his spoliis indigebat, ea Sedes apostolica facile remittebat, ut in illius utilitatem converterentur, cujus praxis exemplum videmus in Const. Benedicti XIV, *Pastoralis*, an. 1756, data pro regno Neapolitano. De jure spoli, quod usu non fuit introductum aut saltem non invaluit in Gallia, nec in pluribus aliis provinciis, hæc dicta sufficient. Cf. Thomassin, part. III, lib. II, cap. LVII; — Ferraris, v^o *Spolium*; — Devoti, lib. II, tit. XVIII. — SS. Pius IX præscripsit, ad mentem canonum,